

Baurum *impugnarunt* praeter omnes catholicos, qui hanc rem tractarunt, ex protestantibus Hengstenberg, H. W. J. Thiersch, Bunsen et alii.

Sectatores scholae Tubingicae praecipui, qui doctrinam scholae partim mutarunt ac moderarunt, sunt: Alb. Schwegler † 1857., Eduard Zeller, K. Reinh. Köstlin, Alb. Ritschl, H. J. Holtzmann sed imprimis Hilgenfeld et Volkmar.

Adolph. Hilgenfeld in origine religionis Christianae etiam gnostismo partes tribuit. Actus apostolorum ex fragmentis compilatos esse dicit; sed postea sententiam sic mitigavit, ut prope ad veritatem Christianam accederet.¹

Gust. Volkmar prof. Tigurinus historiam evangelicam poësin didacticam (Lehrpoesie) censet, eamque allegoricam et symbolicam, seu epos religiosum, cuius fundamentum sit mythicum. Ita illuminatione caecorum significari doctrinam Christi caliginem ab animis dispellentem, ejectione daemoniorum sanationem et consolationem alienatorum mente, resuscitatione mortuorum vivificationem synagogae moribundae, tempestate sedata confirmationem animi discipulorum. Controversiam discipulorum Christi et Joannis de jejuno esse symbolum litium primorum Christianorum. Resurrectionem Christi spiritualem esse intelligendam in animis discipulorum. Exemplar poësis didacticae fuisse evangelium Marci.²

Quamdiu de neganda origine supernaturali religionis Christianae agebatur, schola Tubingica consensit; at quum origo ecclesiae naturalis positive enarranda erat ac probanda, dissensio inter doctores scholae exstitit. Dehinc Tubingii rationalismum isagogicum maxime coluerunt, et in hermeneutica eclectic facti sunt. Sed etsi schola emortua est, tamen placita ejus hodie quoque vivunt.

2. — Ad placita Tubingiorum sequentia *respondemus*.

a) Schola Tubingica iisdem *opinionibus philosophicis* praejudicatis nititur, quibus ceterae rationalistarum scholae. Et quan-

Das Marcusevangelium. Tübingen, 1851. Das Christenthum und die christl. Kirche der ersten drei Jahrhund. Tübing., 1853. Procedente tempore Baur ad pantheismum inclinavit.

¹ Opus Hilgenfeldi: Einleit. in das N. T. Leipz. 1875. a rationalistis magni habetur. Alia opera praecipua: Die jüdische Apokalyptik. Jena, 1857. Messias Judaeorum. Lips., 1869. Ketzergesch. des Urchristenthums. Leipz., 1884. Judenthum und Judenchristenthum. Leipz., 1886. et commentarii in plures epist. S. Pauli.

² Opera Volkmaris praecipua: Die Religion Jesu, und ihre erste Entwicklung. Leipzig, 1857. Ursprung unserer Evangelien. Zürich, 1866. Die Evangelien oder Markus und die Synopsis der Evang. Leipz., 1870. Zürich, 1876. Jesus Nazarenus. Zürich, 1882. Paulus bis zum Galaterbrief. Zürich, 1887.

tumvis positivam methodum praetendat, more rationalismi antiquioris *hypothesibus* et *conjecturis internis* abundat, testimoniis historicis neglectis.

b) Doctrina hujus scholae partim *hermeneutica* (exegetica) et *historica* est, partim *isagogica*, quae per circulum vitiosum invicem supponuntur. Evolutio enim et pugnae factionum libris canoniciis (et quibusdam apocryphis) probantur; at versa vice ex pugnis sectarum origo librorum deducitur et auctoritas eorum negatur. Ceterum libros sacros esse authenticos non post plures demum recensiones saec. II. in formam canonicam redactos, introductio demonstrat. Plerique etiam Tubingiorum, indubii antiquitatis librorum ss. testimoniis victi, jam ortum eorum ad initium saeculi II. imo maximam partem in saec. I. reponunt.

c) Religio Christiana non est soboles theologiae Judaicae, nec *synthesis*, quasi filia Judaismi et philosophiae Graecae. Religio quidem antiqui testamenti revelata continet semina religionis Christianae; haec tamen illius propago naturalis non est, sed nova revelatio atque institutio divina, illi multis locis opposita. Religio autem Judaica corrupta, tempore Christi in scholis tradita, cum suo Messia politico, plane maxime religioni Christianae contraria est. Scholas philosophorum a Christo et apostolis nunquam frequentatas esse, constat. Ceterum apud philosophos nullum doctrinæ fidei ac morum Christianae vestigium apparet, imo saepe contraria ejus praecipiuntur. Revera et Judaei, et philosophi religionem Christianam ut novam et alienam respuerunt ac persecuti sunt.

Religio Mosaica et Christiana unam efficiunt oeconomiam salutis, non sunt tamen una religio. Doctrina fidei et morum Mosaica in religionem Christianam recepta est, sed essentialiter perfectior facta, novisque dogmatibus et praeceptis aucta. Motiva virtutis in antiquo testamento erant terrena, in novo ad vitam futuram pertinentia; ibi timor, hic amor praevalet. Religio Israëlitica erat particularis, Christiana universalis. Hinc religio Christiana abolitionem synagogae denuntiavit, i. e. legis caeremonialis ac judicialis, et societatis religiosae iis conjunctae. Ipsa prophetarum oracula erant obscuriora, quam ut ex iis religio Christiana effici posset.

Judaei autem Christi aequales doctrinas et exspectationes antiqui testamenti adulterarunt. Justitiam externam bonis moribus praeposuerunt, Messiam regem, et regnum ejus terrestre ac politicum exspectarunt. Quantum est discrimen inter ideas religiosas et morales Philonis, Josephi Flavii, Talmudis, et evangeliorum! Alioquin Christus et apostoli Galilaei scholas theologicas Hierosolymitanas non frequentarunt,

ut Judaei ipsi fatentur (Joan. 7, 15.), et raritas rabbinismorum in eorum sermonibus atque operibus probat; imo scimus, pharisaeos ac sadducaeos fortiter ab iis impugnatos esse.

Placita *philosophorum*, Socratis, Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Senecae, doctrinae Christianae toto caelo contraria novimus. Scimus eos multos aut nullos deos coluisse, fidem respuisse, charitatem ignorasse, aequalitatem hominum negasse, castitatem contempsisse, honores, divitias et voluptates maximi fecisse, imbecilliores (feminam, parvulos, pauperes, servos) oppressisse. Scholae autem philosophorum in Palaestina deerant, imo plebi plane ignotae erant.

Et cur Judaei ac gentiles in religionem Christianam saevierunt, si haec nova et iis contraria non fuit, sed mera idearum suarum collectio vel evolutio?! Quomodo judaismus et ethnicismus in religione Christiana filiam suam et sanguinem suum non agnoverunt?!

Quae religio Christiana a Judaeis vel gentilibus accepit: lingua (e. g. vox *λόγος* apud Platonem et Philonem longe aliud significans), methodus docendi, ordo cultus divini, constitutio ecclesiarum etc. essentialia non sunt, perinde ac forma aedium, supellectilium vel vestium sacrarum, quas ecclesia, non de novis artibus sed de nova fide moribusque sollicita, itidem adscivit.

Quod ad *essenos* attinet, sane pietas eorum et mores viam religioni Christianae ad eos parabant; sed dogmata eorum, e scriptis Josephi Fl. nota, tantum abest, ut doctrinae Christianae principia fuerint, ut etiam religionem Mosaicam depravarint, atque ethnicismum (parsismum) sapierint. Esseni solem colebant, fatum et duas animas crederunt, a mundo separati vivebant, matrimonium damnarunt, carne et vino abstinebant. Doctrinae Christianorum propriae: trinitas, incarnation, gratia etc. iis prorsus deerant. Externas caeremonias et lustrationes magis adhuc, quam ceteri Judaei observabant. Similitudo sectae eorum cum religione Christiana mere externa est ac fortuita, motivumque rationum vitae longe diversum: Ipse Josephus Flavius essenos a Christianis distinguit, et nemo antiquorum eos cum his confudit.

d) *Falsum est*, in ecclesia primaeva *factiones fuisse*, invicem vehementer oppugnantes. Nam dissensiones, quae revera non inter apostolos, sed inter fideles natione ac moribus tam diversos, nec ab omni imperfectione humana liberos, aderant, non erant essentiales, neque acerbae. Ii autem, quorum doctrina moresque in libris sacris graviter reprehenduntur, non veri Christiani erant, sed (praeter gnosticorum patres) judaizantes in concilio apostolico Petri, Jacobi et Joannis consensu damnati, item Simonistae

haeretici, qui testibus antiquis revere extiterunt. Judaei a S. Paulo saepe vehementer objurgati partim infideles sunt, qui opus Pauli ubique evertere conabantur, partim Christiani judaizantes, qui etiam gentilibus conversis necessitatem circumcisionis et rituum Mosaicorum salutis causa imponebant vel saltem Judaeis et proselytis priores partes in ecclesia tribuebant. Petrus autem et ceteri apostoli nihil ad horum hominum sectam pertinuerunt. Ceterum discordias illas jam Marcion (saec. II) asseruit, cui Christiani contradixerunt.

e) Profecto *mirus erat* doctrinarum Petri, Jacobi, Joannis et Pauli *consensus*. Petrus jam primis sermonibus bellum indicit judaismo, et novam religionem, non antiquae sectam vel reformationem, sed ejus impletionem annuntiat. (Act. 2, 14. sqq. 3, 12. sqq.) Similiter facit S. Stephanus diaconus. (Act. 7, 2. sqq. 51. sqq.) Petrus neglecta lege separationis Mosaicae Antiochiae cum gentibus epulatur. (Gal. 2, 12.) In concilio Hierosolymitano Paulus et Barnabas (saltem in succincta Actuum narratione) tantum gesta et miracula sua referunt, sed nec sententiam in causa rituum Mosaicarum aperiunt, verum Petrus et Jacobus suadent, legem caeremoniale gentibus non esse imponendam. (Act. 15, 12. 7. 13.) Primum ethnicum Cornelium centurionem Petrus baptizari jussit. (Act. 10, 48. conf. 10, 34.) Versa vice Paulus semper honorificè de antiquo testamento loquitur, licet ejus partem caeremoniale et judiciale impletam et abrogatam esse dicat. Observantiam rituum Mosaicorum ut rerum indifferentium apud Judaeo-christianos non reprobat, imo ipse etiam pro Judaeis Judaeus fit (I. Cor. 9, 20.), et Timotheum per accommodationem »propter Judaeos« circumcidere jubet (Act. 16, 3.); tantum rituum illorum ad salutem necessitatem impugnat.

f) Praecipuum argumentum Tubingiorum est dissensio *Petri et Pauli Antiocheni* in ep. ad Gal. 2, 11—14. memorata, ubi Paulus Petro cum gentilibus cenanti, et venientibus Jacobi legatis se subtrahenti, et ita scandalum danti in faciem i. e. publice restitit. Haec tamen resistentia pugna atque inimicitia non fuit, sed mera correctio fraterna, ad quam Paulus provocat, ut auctoritatem suam apostolicam probaret, quam ipse princeps apostolorum correctionem acceptando et patienter ferendo agnovisset.

Res Antiocheni concordiam apostolorum non turbavit. Nam in eadem epistola ad Gal. Paulus narrat, se post conversionem identidem Hierosolyma venisse, et evangelium suum cum Petro et aliis apostolis

(utique Petrinis) contulisse (1, 18. 19. 2, 2.); item Petrum, Jacobum et Joannem (Petrinorum capita) sibi et Barnabae Hierosolymis dexteras dedisse societatis suamque ad gentes missionem agnoscere. (2, 9.) In concilio Hierosolymitano maximam videmus inter Petrum, Jacobum — et Paulum Barnabamque concordiam. (Act. 15, 7—29.) Et ubi Paulus de tribus illis apostolis Petrinis mentionem facit, semper iis honorem suum reddit. Deinde I. Cor. 15, 8. sq. Paulus se abortivum, minimum apostolorum dicit, qui non sit dignus vocari apostolus. Petrus autem (II. Petr. 3, 15. sq.) de charissimo fratre Paulo loquitur, ejusque sapientiam et epistolas celebrat.

Ea autem, quae sub e) et f) diximus, non solum ex Actibus apostolorum, de sententia Tubingiorum ad sectas reconciliandas scriptis deponimus, sed etiam ex epistolis S. Pauli, ab ipsis Tubingiis receptis. Alioquin praecipuus fons antiquitatis Christianae est liber Actuum, cuius auctoritate rejecta de tota historia apostolorum Tubingiis tacendum erat. Et si Actibus concordiae testibus non creditur, quomodo eorum testimonium ad discordiam probandam valere potest? Antiqua sane est methodus rationalistarum libros sibi non faventes respovere.

g) *Inter Tubingios non convenit*, quaenam scripta sint Petrina, quaenam Paulina, quaenam reconciliantia. Praesertim de evangelio Marci disputant. Revera omnes libri Petri, Paulini et reconciliantes sunt, quia in illis doctrinae omnium apostolorum, dummodo intelligentur, consonant.

§ 105.

Schola isagogica (critica).

A tempore scholae Tubingicae maxime invaluit rationalismus isagogicus, sane jam antea natus. Hic immediate authentiam et fidei dignitatem librorum sacrorum impugnat, quo mediate etiam auctoritas eorum divina (inspiratio) et sensus supernaturalis tollitur. Negata enim auctoritate librorum sacrorum historica, coeva factorum supernaturalium testimonia tolluntur, et ita mediate tota oeconomia salutis, revelatio, legislatio positiva divina, miracula, vaticinia, instituta divina convelluntur.

Rationalismus isagogicus fundamentum est fere omnium recentiorum rationalismi scholarum ac theoriarum, et ipse vicius unam alteramve rationalismi hermeneutici doctrinam adsciscit. Hinc non alienum est eum hic breviter adumbrare.

Doctrinae isagogicae criticorum recentiorum imprimis ad Pentateuchum, libros prophetarum et evangelia Actusque pertinent. a) Origo Pentateuchi Mosaica negatur, item antiquitas et unitas; et ille demum tempore regum vel post exsilium scriptus, saltem ex elementis compositus esse dicitur. Antiquiores quidem hypotheses monumentorum et fragmentorum (Urkunden- und Fragmentenhypothese) plerumque derelictae sunt; at theoria supplementorum (Ergänzungshypothese) vel potius compilationum viget, quae Pentateuchum, vel libro Josue addito Hexateuchum, ex multis libellis tempore regum scriptis (jehovistico, elohistico, deuteronomico, libro bellorum Domini, historia sacra, libro foederis, libro originum, codice sacerdotali, codice Esdrae et aliis), post exsilium collectis vult esse compositum. Addunt etiam illud, legem caeremoniale Mosaicam ante exsilium non extitisse, sed in captivitate (ab Ezechiele?) conditam esse. Hanc theoriā profitentur Ewald, Wellhausen, Reuss, Dillmann, Nöldeke, Schrader, Franc. Delitzsch, Renan etc. Alii quoque libri A. T. historici tum fide indigni, tum poëtici, tum corrupti habentur. b) Libri prophetarum, quorum natura prophethica aliter negari nequit, imprimis pars II. Isaiae (cc. 40—66.) et liber Danielis, demum post eventum scripti dicuntur. Ita Hitzig, Knobel, Wellhausen, Bleek, Bertholdt, Gesenius, Renan. c) Evangelia nostra canonica et Actus apostolorum aut saeculo II. scripta aut ex elementis saec. I. scriptis composita, aut saeculo I. scripta, postea identidem interpolata et additamentis aucta esse censentur. Plures etiam epistolae apostolorum rejiciuntur, sed majores Paulinae (excepta ad Hebr.) plerumque recipiuntur. Ita sentiunt plurimi Tubingiorum discipuli, et alii permulti, e. g. Renan.

Haec autem omnia in introductione ad libros sacros exponuntur ac refutantur, ad quam lectorem remittimus.

§ 106.

Theoria mutuationis.

1. — Haec doctrinam Tubingicam de evolutione religionis uberioris prosequitur, et religionem revelatam utriusque testamenti ex variis religionibus ethnicis derivare conatur atque explicare.

Ita religionem Mosaicam vel partem ejus ab Aegyptiaca repetunt multi aegyptologi, a Babylonica multi assyriologi, a Persica illi, qui originem Pentateuchi exilio recentiorem defendunt. In ipsa religione Christiana, praeter Tubingios horumque sectatores, eam e religione

Judaica et philosophia Graeca deducentes, ali elementa Aegyptiaca (Draper, Tiele), alii Persica (Spiegel, Ern. Bunsen, Tiele), alii Buddhistica (Voltaire, Burnouf, Renan, Jacolliot) asserunt. Nonnulli dieunt, vitam Jesu ad exemplar legendae Buddhæ esse confictam (Seydel), aut Jesum juvenem multis annis in Aegypto et India theologiam didicisse (Jacolliot et divulgator »legendæ Issæ« Tibeticae Notovitch).

2. — Ad haec, quæ multis locis ad exegesim pertingunt, sequentibus breviter respondemus, ubiorem disputationem apologetis committentes.

a) Mutuationi illi obstat historia.

Patriarchæ plane ob diversitatem religionis ex Mesopotamia emigrarunt, et quum in Aegyptum venerunt, jam religionem suam monotheisticam habuerunt. Cultus Mosaicus est cultui Aegyptiorum oppositus ejusque reprobatio. In captivitate et postea Judæi firmissime avitæ religioni adhaerebant. Angelologia jam longe ante exsilio pars erat religionis eorum.

Christum autem ejusque apostolos constat nunquam ab Aegyptiis, Persis vel Indis didicisse, nec horum religionem, praecipue Buddhisticam, aetate Christi in Palaestina notam fuisse. In Aegypto Jesus infans paucos menses (vix annos) moratus est. Vetus autem Aegyptiorum religio eo tempore fere collapsa erat vel cum Graeca confusa. A tempore Alexandri M. efficacia Persarum a Judæis aberat. De Buddhismus ducentis annis post Christum Clemens Alex. primus Christianorum aliquid audivit.

b) Obstat religionum natura.

Religio Aegyptiaca est polytheismus, naturam atque animalia colens, idolatria crassissima, metempsychosim docens. Similis polytheismus, naturam imprimis astra adorans et magiam exercens, erat religio Babylonica, quæ etiam mores hominum minus curavit. Religio Persica est dualismus, adoratio ignis etc. Buddhismus est pantheismus et pessimismus, metempsychosim ac reincarnationem docens, Deum personalem et vitam aeternam negans. Quæ omnia toto caelo a religione atque ethica revelata differunt.

c) Similitudinum alia est ratio.

Trinitates deorum Aegypti, spiritus malus Persarum, incarnationes, mortificatio carnis, vita monastica et orationis frequentia Buddhistarum, alia partim doctrinae sunt religionis naturalis, omnibus gentibus communis, partim ex revelatione primitiva vel (forte) praetermosaica descendunt, partim e religione Israelitica et Christiana in alias religiones, sane depravata et erroribus mixta transierunt.

Comparatio mythologiarum docet, ejusmodi similitudines etiam in religionibus populorum, a fontibus revelationis remotissimorum (in Africa, America) inveniri. Neque impossibile est, veram revelationem etiam nonnullis ex gentibus (ut fortasse Jobo) contigisse. Zoroaster aliqua ex religione patriarcharum vel Hebraeorum haurire potuit. Religio Christiana jam primis saeculis, maxime autem aeo medio Indianam penetravit, et multi libri Buddhistici tempore Christiano scripti vel refecti sunt. Ita Esur-veda, quam jam Voltaire fontem religionis Christianæ habuit, demum saec. XVII. post Chr. ab auctore Christiano scripta; legenda Krshnae, ad quam Jacolliot provocat, saec. VII. post Chr. orta; legenda Issæ (si revera existit et recte intellecta est) manifeste e libris sacris vel ex praedicatione Christiana deprompta, ac moderno rationalismo permixta est. Alioquin sensus Christianus libris Indorum saepe falso subjicitur. Similitudines autem accidentales, quæ inter vitam Christi et Buddhæ intercedunt, ex rei natura sequuntur, et in vita auctorum omnium fere religionum inveniuntur, e. g. jejunium, tentatio, miracula (apud Buddham satis inepta). Caeremoniae autem et artes gentium, quas Moyses et ecclesia forte adsciverunt, ad essentiam religionis non pertinent.

§ 107.

Rationalismus eclecticus.

Rationalismus recentior est eclecticus, qui systemate, uniformitate atque constantia caret, sed rationalismum isagogicum et plures species hermeneutici antiquas ac novas confundit; maximam autem operam authentiae librorum sacrorum destruendae impedit. In re autem exegetica duas theoriae maximam famam consecutae sunt: theoria *legendarum Renani* et *additamentorum evolutionisque Harnackii*.

1. — *Theoria legendarum.* Nonnulli narrationem biblicam veram quidem in essentia historiam dicunt, sed legendis ornatum. Est autem *legenda* fabula religiosa et plerumque miraculosa, quæ verae historiae adhaeret, et quasi mythos accidentalis est.

Jam Henr. Ewald (1803—75.), prof. Gottingensis Antiquum Test. historiam esse dixit in essentia veram, sed procedente tempore legendis auctam, a quibus interpretatione purganda sit. Novum autem Test. sensu fere orthodoxo interpretatus est.¹ Deinde Otto Pfleiderer, prof.

¹ Opera praecipua, quæ hoc pertinent: Gesch. des Volkes Isr. III. Aufl. Götting. 1864—68. Die Propheten des A. B., Stuttg. 1840. et Götting. 1867. Die drei ersten Evangelien, Götting. 1850.

Berolinens. miracula evangelica »coronam fabularum (Sagenkranz) dixit, circa personam Domini contextam«.¹ Maxime tamen theoriam legendariam excusat.

Ernestus Renan (1823—92). Hic rationalismum philosophicum et doctrinas isagogicas scholae Wellhausenianae et Tubingicae profitetur; in exegesi autem pro necessitate theoria fraudis, accommodationis, interpretatione naturali, mythica et Tubingica utitur. Narrationes Ant. Testamenti antiquiores passim mythos habet, recentiores autem historias legendis ornatas. Historiam Jesu Christi quatenus naturalis est, plerumque veram agnoscit, sed a discipulis et sectatoribus bona fide legendis auctam; et omnia supernaturalia tales legendas esse dicit. Historiam ergo Christi psychologice, idest ex motivis et affectibus humanis intelligendam. Viros et mulieres historiae sacrae dementes atque improbos habet, ipsumque Christum, etsi interdum laudibus ambiguis effert, turpiter deridet ac calumniatur. Verum religionis Christianae auctorem S. Paulum censem.

Specialiter Renan leges naturae immutabiles et miracula impossibilia, saltem nunquam probata esse contendit. Miracula, quae narrantur, errores, fraudes vel legendas esse, vaticinia autem illusiones vel post eventum edita.

Legendam Christi eo adhuc vivente a discipulis et mulieribus simplicibus, superstitionis, valde sensibilibus, phantasticis, fere deliris inconsulto et bona fide confictam esse. Qua in re imaginationi Magdalena magnas partes esse tribuendas. Exemplaria legendarum fuisse vaticinia A. T., quae rursum falsa interpretatione ad Christum accommodata esse.²

Ecclesiam Hierosolymitanam primaevam fuisse sodalitatem piam, sine dogmate et hierarchia, cum communione vitae (mensae, bonorum). Petrum et Paulum vixisse concordes, at post mortem eorum scissuras ortas esse terribiles, ad quas componendas Actus conscripti sint. Inter primos Christianos magnos fuisse errores e. g. de parusia Domini. Propagationem religionis Christianae fuisse naturalem. Duobus primis saeculis persecutionem universalem et graviorem non extitisse. Reli-

¹ Opera praecipua: *Der Paulinismus*. Leipzig, 1873. et 1890. *Das Urchristenthum*. Berlin, 1887. *Religionsphilosophie*, III. Aufl. 1893—96.

² ,Tantôt l'on raisonna ainsi: Le Messie doit faire telle chose; or Jésus est le Messie: donc Jésus a fait telle chose. Tantôt l'on raisonna à l'inverse: Telle chose est arrivée à Jésus; or Jésus est le Messie: donc telle chose devait arriver au Messie.« *Vie de Jésus*. Introd. p. XLVI.

gionem Christianam studium rerum humanarum ac civilium impedientem unam fuisse e causis ruinae imperii Romani. E cultu sanctorum superstitionem natam esse, et a monachis ac conciliis dogmata absurdam constituta.

Ceterum difficile est veram doctrinam Renani essentiam adumbrare. Nam praeterquam quod ordo atque unitas doctrinæ ejus deest, ipse auctor plerumque confuse atque ambiguë loquitur, et sententiam suam phrasibus involvit ac perpetuo mutat.¹

2. — Placita Renani, quum aliunde sint compilata, jam in aliis theoriis sunt refutata. Alioquin magis contemptum merentur atque irrisio, quam gravem disputationem. Ideo ad sequentia tantum animos lectorum advertimus.

a) Renan qui multa cum pantheistis ac materialistis sentit, opinionibus nititur *rationalismi philosophici*, cum quibus sententiae ejus stant aut ruunt, ut ipse fatetur. (*Vie de J. Préf.* p. VI. et IX.) Ideo facta historica non ex testimoniis aestimat, sed accipit aut rejicit vel depravat, prout cum sententiis suis philosophicis convenient aut non. Theorias rationalistarum Germaniae *isagogicas*, saepe minus recte intellectas, audacius quam eruditius ac diligentius proponit.

b) *Legendae* Renani revera *mythi* sunt, eo magis falsi quam *mythi* Straussii, quod non post memoriam Jesu extinctam, sed eo vivente vel paulo ante mortuo, quum omnes adhuc Jesum bene nossent, vitae ejus afficti esse dicantur.

c) Renan facta *sine ullo argomento* in dubium vocat vel negat, et res temere assertas tamquam veritates indubitatas proponit. E. g. negat Christum se unquam filium Dei dixisse, vel sibi attributa divina vindicasse, vel a Paulo filium Dei dictum esse. Quae sententiae ejus non favent, ea reticet vel adulterat. Textum S. Scripturae ad libitum mutat, torquet ac fallacissime interpretatur. Narrationes biblicas additamentis parum verecundis, personis biblicis contumeliosis corruptit.

¹ Scripta Renani praecipua: *Histoire générale et système comparé des langues semitiques*. 1855. *Vie de Jésus*, Paris, 1863. et saepius. *Les Apôtres*. 1866. *Saint Paul*. 1869. *L'Antéchrist (Nero)*. 1871. *Les évangiles et la seconde génération chrétienne*. 1877. *L'Église chrétienne*. 1878. *Marc-Aurèle et la fin du monde antique*. 1882. *L'Ecclésiaste*. 1882. *Le judaïsme et le christianisme*. 1883. *Souvenirs de l'enfance et de la jeunesse. Histoire du peuple d'Israël*. 1887—93. Quinque vol. Renan duobus annis theologiae studuit in seminario S. Sulpitii.